

*Qua sit certitudo scientia possibilium, &c. 31*

in se confociat; sed in exemplis illis non morabor, quia jam ad mentem illius satis constat nihil fuisse aliquando possibile, nisi per participationem essentia Divinae. Unde liquido constat quod assertum fuit, nempe certitudinem totam scientia possibilium in Deo oriri ex noticia ipsius essentia Divina in ratione primi entis participabilis, scilicet ex noticia comprehensiva, qualis est Divina.

Objicies *primò*. Non potest Deus habere scientiam certam de omnibus possibilibus per comprehensionem suae essentia, nisi in sua essentia comprehensa videat possibilia omnia. Sed Deus in essentia sua comprehensa non videt possibilia omnia. Igitur non potest Deus habere scientiam certam de omnibus possibilibus per comprehensionem suae essentia. Major patet ex terminis. Minor autem probatur: quatenus si Deus videret in essentia sua comprehensa possibilia omnia, videret in illa terminum suae potentia, siquidem videret in illa potentiam suam ad illa omnia cognita possibilia terminatam; ita quod posset Deus apud se sic cogitare ac loqui, possum tot individua in tot speciebus producere, sed plura, aut in pluribus non possum: possum Orbem tantae amplitudinis creare, ac per tot annos conservare; sed ampliore creare & conservare per annos plures atque posteriores non possum, &c.

Qua & similia quantum potestatem Divinam depriment quis non videt? Et capropter quis non arbitretur rationabilius dicturum, qui diceret Deum, aut non comprehendere essentiam suam, aut in illa quantumlibet comprehensa non videre possibilia omnia, aut certe non illa videre nisi confuse, in quantum nihil in ea videt impossibile sibi? Sic quippe magis consuleret infinitati Divinae omnipotentia, quae si verè infinita est, non potest etiam à Deo videri finita, uti videretur, si videretur universa possibilium multitudo, quae ipsi esset pro fine, sive termino qui non posset excedi.

Deinde non potest Deus in essentia sua comprehensa videre, nisi talia possibilia, quae secum invicem in illa sociari possint secundum essentielles rationes ab illis possibilibus imitabiles: dictum est enim possibilitatem rerum pendere ab imitabilitate rationum, seu perfectionum quas essentia Divina complectitur. Atqui non omnia possibilia secundum rationes ipsis proprias sociari possunt in essentia Divina. Et haec propositio minor, in qua jacet tota difficultas, sic probatur; quatenus non solum pauca contraria

XVII.  
Opponatur  
quod Deus  
videret ter-  
minos suae  
potentiae: &  
hoc valde  
repugnat.

XIX.  
Et ita rati-  
onabilius  
asseritur  
Deum non  
videre in es-  
sentia sua  
possibilia  
omnia.

XX.  
Addunt  
infinita con-  
traria esse  
possibilia: &  
nihilominus  
istae contra-  
rietates non  
confociantur  
in Deo.